



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591


VD16 H 5888

Praefatio Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)



PRAEFATIO AD LECTOREM.

 *V*AERI merito à nonnullis so-
let, plúsne utilitatis populo
Christiano adferant, qui novos
in lucem libros emittunt, an
qui veteres, in tenebris latentes, recudi cu-
rant. Qua de re vt accuratius disputare
mei instituti minimè esse animaduerto; ita
negari non potest, quin si non plus, aequè cer-
te communi bono consulant, qui in eo labo-
rant, vt veterum, ac praestantium auctorum
monumenta, vix de nomine nota, palam
exstent.

Quando ~~et~~ apud Trithemium, vel apud
alios legimus, quàm multa, quàm praecleara,
quàm utilia, cōplures scripserint, quotusquis-
que est, qui eorum videndorū, ac perlegendo-
rum cupiditate non accendatur? Quàm mul-
ta nunc ignorantur, ad hominis cognitio-
nem perficiendam, moresq; conformandos

) (3 in

P R A E F A T I O

in primis facientia; qua si haberemus mirificas sanè, atque uberrimas utilitates inde caperemus. Quid quod ipsa antiquitas, praeter solidam doctrinam; nescio quid etiam venerationis, atque authoritatis habet, quod ad animos promouendos valet plurimum? Utinam homines essent, qui è veteribus bibliothecis, è latibulis, erutas praestantes lucubrationes, cum reliquo cœtu communicarent; nã y, si ulli alij de Christiana Republica optimè mererentur. In iis certè Vmbertum esse, de cuius officina nunc aliquid prodit, nemo ignorat, qui vel mediocriter est in veterum lectione versatus.

Donatus quidem luce fuit hic liber, ante aliquot annos, & Louanij, & mox Parisiis: sed ita de repente ea exemplarium copia distracta est, ac propemodum euauit, ut apud plerosque vix visus, aut auditus, omnino sileret, neq, quantocunq, studio, inueniri, aut cerni posset. Quàm multa, quamq, hominibus, Religiosis praesertim, conducibilia ille scripserit, tum alibi, tum in Dominicanis Annalibus videre est; quæ qui nancisceretur,
magnum

A D L E C T O R E M.

*magnum ille profectò se thesaurum reperisse
sapienter cogitaret. Verùm, quando ea habe-
re non datur, qua conceduntur, animis liben-
tissimis accipiamus, ac potitis, quantum li-
cet, fruamur.*

*Hoc certe de Eruditione Religiosorum vo-
lumen, quanta dignum commendatione sit,
vel ex eo facile videre est, quod vix non ita
pridem editum, & quidem bis, ex templò aui-
dè raptum nouimus, &, vel modicè degusta-
tum, vehementer nunc à quamplurimis ex-
petatur. Tantum enim summus hic vir in do-
cendo, ac regendo valuit, ut utiliter admodū
semper se in animos insinuarit, atq; eos, quo-
cunq; vellet (voluit autem semper benè) dedu-
ceret. Ecquid mirum? Eius enim industria
factum est, dum ipse Ordinis Prædicatorum
Magister Generalis esset, ut Ordo ille & san-
ctitate, & eruditione, & hominibus in pri-
mis floureret, atq; abundaret. Quod, quamuis
per se multum, parū tamen erat; si illius tem-
poris in mentem veniat, cum Umbertus, ob
nominis claritatem, de mortuo Cælestino
quarto, in summo Pontificatu, neq; Cardina-
lis,*

NOTA

3

lis,

*Papa Calystinus, quartus, Mediolanensis, obiit
Anno christi 1241, octobris die 8.*

P R Æ F A T I O

lis, neq̄ extra Religionem ullam dignitatem gerens, suffectus ferè est. Verùm de tali viro praestat nihil, quàm pauca dicere.

Quare ad nostrum opusculum redeamus; cuius sextū librum, de quiete mentis in Deo, propterea omisimus, quod argumentum illud breuius omnino, ac pressius, quàm res tanta requireret, tractaretur: si praesertim nostra tēpora aspiciamus, quibus ea res minus nota, minusq̄ vsitata est. Quare, ea parte in praesentia praetermissa, eius loco per commodam Monachis, à Monacho Benedictino praestitam olim operam, adiungere visum est.

Erat & hoc beneficium, ut perutile; ita paucis concessum, cum vel diligenter conquistata exemplaria, nusquam haberentur. In eo libro de Oratione, meditatione, lectione, examine, reliquaq̄ spiritali cultura ita agitur, ut & ad captum, & ad fructum vix quidquā magis oportunum queras. Qui haec habet, is certè quæ ad hunc finem Umbertus habebat, minus desiderabit; ut non tam quidpiam de Umberto detractum, quàm Umberti perfecta cogitatio videri possit.

Quo

[Faint handwritten text, likely a library stamp or note]

AD LECTOREM.

Quo autem ad hanc nos editionem accingeremus, permultum nos mouit, non solum crebro petita, ac negata exemplaria; sed & eximius in Religiosis hominibus fructus, quæ ex hoc opere cōplures percepturos speramus. Reflorescit enim diuino beneficio, atate nostra, cum omni literarum genere, etiam non exiguus passim Religiosa disciplina amor, ac studiū, ut, intra paucos annos, & longè melior facies eius vitæ exstet, & antiqua sensim decora reuiuiscere appareat.

Adhæc quantum Umbertus noster cum adiuncta tractatione collaturus sit, hæc qui leget, agnoscet; qui vero usurpabit, magno suo, aliorumq; commodo experietur. Quare, ut valdè omnes hæc exstare cupuerunt; ita quoque ex eorum lectione magnos in spiritali vita progressus facere & optamus, & precamur.

